



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Theologia non est pure speculatiua. cap. 10.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

esse propter amorē Dei tanquā finē intrinsecū, ac propriū omniū veritatum in illis contentarum: aliter non posset Deus aliquid eorum reuelare propter solam cognitionem, non referendo simul ad aliū finem, quod tamen est falsum: itaque Deus quidem omnia à se reuelata ordinauit ad hunc finem, vt homo ipsum diligeret, vt bene probant testimonia adducta: sed hic est finis reuelantis, qui tamen est extrinsecus veritatibus reuelatis. Ex quo non sequitur omnes eas esse practicas, cum solum occasionaliter moueant ad operandum, non tamen per se, ac directiue quod requiritur ad scientiam practicam. Fundamentum Gregorij falsum est, Theologus enim non solum considerat obiecta speculabilia, vt hac cognitione vtatur ad conclusiones practicas inferendas, vt facit Philosophus moralis, & medicus: sed pleraque cōtemplatur, vt sciat, & cognitione ipsa formaliter perficiatur. Nec tamen exiguus est numerus cōclusionum huiusmodi, vt simpliciter dici debeat Theologia totalis practica, non speculatiua: cum magna pars Theologiae in sola rerum diuinarum contemplatione versetur. Quare si Medicis licet Autore Auicenna scientiam Medicam non solum practicam, verum etiam speculatiuam dicere, eo quod consideret naturam corporis humani, & quarundam aliarum rerum, quarum notitia tandem refertur ad curationem corporum, cur non licebit Theologo appellare Theologiam simpliciter speculatiuam, ob notitiam plurimarum veritatum speculabiliū, quæ de facto ex vi ipsius nō referuntur ad praxim.

Theologia non est purē speculatiua.

CAPVT X.

I.
Marfil.

Postquam statutū est Theologiam esse speculatiuā, sequitur vt videamus, sitne solum speculatiua. Marfilius. q. 3. prologi artic. 5. conclusionē 4. 5. & 7. affirmat. Probat autem quia principaliter dirigitur ad dilectionem Dei, quæ non est propriē actio, & praxis. Sed iam cap. 1. ostendi dilectionem Dei, propriē esse praxim, & cap. proximo nō esse præcipuum finem Theologiae. Et ideo ex hoc fundamento Theologia non est dicenda solum speculatiua. Idem sentiunt alij nonnulli apud Durandum q. 6. prologi, numero 7. & Argentinam q. 4. art. 4. inducti hoc argumento. Scientiæ dicuntur practicae, ac speculatiuæ à fine: si enim is sit praxis, erit scientia practi-

ca, si vero pura contemplatio, erit speculatiua: at Theologiae finis est æterna felicitas, quæ consistit in ipsa Dei contemplatione, quæ est pura speculatio. Verum hoc fundamentum facile euertitur à Durando vbi supra vsq; ad nu. 13. Aureol. mox citando, & Henrico q. 3. prologi, iuxta doctrinā sapientius repetitam, nimirum quod scientia non dicitur speculatiua, vel practica à fine extrinseco, ac remoto, sed à proximo, ac per se intento: æterna verò felicitas nō est finis proximus Theologiae viatorum: Sed actiones aliquæ supernaturales, ac meritoria habent rationem finis nō exiguae partis Theologiae, quæ ipsis regulandis incumbit: & ex reuelatis principiis elicit modū, ac rationem operandi erga Deum, ac proximū iuxta regulas ordinis diuini, ac supernaturalis. Sed omisso hoc fundamento, quod infirmum est, ad alia veniamus.

Henrici. p. sum. art. 8. q. 3. & artic. 36. q. 4. ad 2. idem sentit, ex alio tamen fundamento, nempe quia Theologia, licet habeat notitias practicas, tamen ordinatur ad speculationem, vt ad finem: sicut è contrario moralis scientia speculatur verum in ordine ad praxim: cum igitur notitia speculatiua, & practica sine differant, cōsequens est, vt Theologia, cuius finis est sola veritatis cōtemplatio, sit solum speculatiua. Et confirmatur, quoniam eiusdem rei nō possunt esse duo fines principales, sed vel vnus tantum, vel duo, alter principalis, alter minus principalis: atqui finis minus principalis ordinatur ad præcipuum: ergo etiam operatio, quæ mensuratur à Theologia, dirigitur ad sanandum mentis oculum, vt clarius speculetur veritates diuinas: & ita contemplatio est vnicus finis vltimus vniuersæ Theologiae: non solum ea ex parte, qua speculatur non tradendo regulas operandi, sed ex ea etiam, qua mensurat operationes.

Oppositum dicendum cum communis sententia Doctorum: tum eorum, qui dicunt solum esse practicam, quos retuli capite præcedente: tum asserentium esse simpliciter practicam, & speculatiuam, quos afferam capite sequente: inter quos hanc Henrici positionem ex professo impugnant Aureol. quæst. 3. prologi artic. 1. circa primam opinionem, & Ocham. q. 12. lit. D. & E. suaderetur autem proposita assertio; quoniam scientia non dicitur speculatiua à fine remoto, sed proximo: hoc est ab actu sciendi, quem elicit, qui si sit pura speculatio habitus, à quo procedit, erit speculatiuus: si verò sit etiā regulatio operis, non erit solum speculatiuus: ergo tamen si

Durand.
Aureol.
Henricus

II.
Henricus

III.

Aureol.
Ocham.

cognitio omnis Theologica dirigeretur ultimo ad purgandum mentis oculum, & speculationem veritatis, non proinde esset solum speculatiua, quia habet dictamina aliqua practica immediate regulantia operationes. Et confirmatur, quoniam ipsa quoque scientia morales sunt à natura ordinata ad animi tranquillitatem gignendam, & remouenda impedimenta contemplationis Dei, in qua sita est felicitas naturalis: nec tamen proinde sunt speculatiua. Secundò conclusio num practicarum Theologiae finis ultimus non est ipsa veritatis cognitio, quae habetur in hac vita: nam finis ultimus cognitionis via est charitas vt constabit capite sequenti: non enim dictamina practica Theologica referuntur ultimo ad cognitionem habendam ex fide, sed ad diligendum Deum ex charitate: quare ex hoc capite non erit solum speculatiua. Si quis respondeat, etsi in via non sit finis ultimus Theologiae pura Dei speculatio, sed charitas, tamen visionem patriae esse absolute finem ultimum Theologiae: & ideo cum sit pura contemplatio, Theologiam esse solum speculatiuam simpliciter. Non satisfacit argumento, quia contemplatio, à qua dicitur scientia solum speculatiua, debet esse finis attingendus ipso habitu speculatiuo, non verò remote comparandus per media regulata à scientia. Ex quo patet infirmum esse fundamentum Henrici. Ad confirmationem dicendum est Theologiam vel considerari in ratione rei, vel in ratione scientiae: & sumptam in ratione rei dirigi ad vnicum finem ultimum, qui est Deus, sicut omnes aliae res: fin verò consideratur in ratione scientiae totalis, non repugnare vt habeat duos fines disparatos: nam quamuis scientiae naturales non nisi vnum finem habeant, id prouenit ex limitatione ipsarum, quandoquidem nulla est simul practica, & speculatiua: at Theologia propter suam perfectionem includens vtramque rationem necessario vendicat duos fines non subordinatos: nam quamuis operatio sit minus principalis, non eo ipso refertur ad contemplationem Theologiceam, sicut ad finem ultimum, vt patet ex dictis: nec propterea dicitur minus principalis, sed quia quatenus practica est, versatur circa operationes humanas, quae continentur ab secundo, & minus principali subiecto Theologiae, quod est ens diuinum per attributionem, quatenus verò speculatiua versatur circa Deum, quod est primum, ac praeipuum.

Durandus, quamuis fidem, & Theologiam deductiuam velit esse practicam, vt Durand. in superiore capite visum est, quaestione tamen illa 6. prologi. numero 23. 24. & 25. Theologiam, quae defendit, ac declarat fidei articulos, simpliciter speculatiuam appellat. Probat, tum quia obiectum eius non est aliquid agibile, nec per operationem nostram ipsum contingit aliter se habere, est enim Deus sub ratione Saluatoris: tum quia tota versatur in manifestanda veritate fidei, aut vindicanda, à calumnijs, & erroribus aduersariorum, hoc autem nullam habet habitudinem ad praxim, sed solum spectare videtur ipsam veritatis agnitionem. Verum hæc opinio non est admittenda: nam vel declaratio, de qua loquitur, fit sola expositione terminorum, & hæc propriè non est scientia, sed sola cognitio quid nominis: qualis praeimitur in Mathematica, & in quavis alia scientia tam practica, quam speculatiua: & pertinet ad idem genus scientiae tanquam minus perfectum ad perfectum: & proinde si in opinione Durandi Theologia primo, & tertio modo dicta est practica, etiam secundo modo sumpta, quatenus declaratiua est, reuocabitur ad practicam: sin autem declaratio fiat per modum scientifici rationibus à priori, vel posteriore ostendendo veritatem Theologiae, primo vel tertio modo sumpta, fieri nequit, vt habitus declaratiuus sit purè speculatiuus, si conclusio, quae declaratur, est practica: nam eiusmodi declaratione concluditur, ac manifestatur eadem veritas, ad quam inclinat Theologia primo & tertio modo dicta: ergo si illa est de re operabili, siue praxi, quam dirigit, & consequenter practica, ipsa etiam declaratio eiusdem rationis erit. Neque verum est, quod docet Durand. Theologiam declaratiuam, & defensiuam versari solum circa articulos de Deo, qui sunt speculatiui: non circa alios, qui sunt practici, iam enim superius tractatu 3. capite. 3. notauimus, non minus hos, quam illos indigere expositione, & defensione. Eadem ratione ostendi potest habitum, quo defenditur non esse pure speculatiuum, quoniam si talis habitus est necessarius, etiam inclinat ad easdem veritates, & quemadmodum fides, & Theologia deductiua in sententia Durandi sunt practicae: ille quoque habitus erit practicus: praesertim cum scientia moralis, quatenus positiones suas tueretur, non sit, aut dicatur speculatiua. Porro primum fundamentum Durandi non

non est solidum, quoniam ut aliqua cognitio sit practica, non opus est ut eius obiectum, ad quod ultimatè terminatur, sit agibile: sed satis est ut attingi possit tanquam obiectum alicuius operationis per notitiam practicam dirigibilis, ut saepius in superioribus notavi. Secundum quoque non conuincit. Nam scientia speculatiua non distinguitur à practica, quasi ipsa sola veritatem obiecti consideret: id enim falsum est, cum practica veritatem quoque consuetetur: sed quia illa non respicit alium finem distinctum à veritate obiecti, hæc per hanc ipsam veritatis agnitionem respiciat operationem ab ipsa mensurabilem. Pars autem illa Theologiae, quam Durand. declaratiuam, vel defensiuam appellat, fertur quidem in veritatem, quam manifestat, ac tuetur, sed cum veritas illa sit practica, ut potè eadem cum veritate fidei, ac Theologiae, ipsa quoque cognitio, quæ defenditur, & declaratur, est practica. Et ita constat Theologiam non esse purè speculatiuam, sed simul habere rationem practicæ respectu diuersarum conclusionum.

V.
Scot.
Aquilanus.

Scotus quæstion. 5. prologi §. *Si quæritur*, cum Lycheto, & alijs interpretibus ibidem, & Aquilano, quæstion. 4. artic. 4. conclus. 2. & 3. tametsi Theologiam de obiectis necessarijs sentiat esse simpliciter practicam, de ea tamen, quæ versatur circa contingentia, aliter Philosophatur: De qua tria asserit: primum est, non esse practicam, sed speculatiuam ex obiecto: Secundum in Deo esse simpliciter speculatiuam, tertium in homine esse practicam per accidens. Primum probat, quoniam Theologia de contingentibus ex obiecto non est conformis praxi antè omnem praxim, id est, de se, & ex obiecto non est rectificatiua alicuius praxis, nisi supposita praxi alicuius voluntatis, ad rationem verò practicæ notitiæ Scot. requirit, ut sit conformis electioni, siue volitioni rectæ, & prior ipsa: ex quo concludit Theologiam de rebus contingentibus ex obiecto esse speculatiuam. Antecedens verò ostendit, quoniam ex obiecto contingenti nulla nata est haberi notitia determinatæ rectitudinis contingentis, quæ suapte natura est indifferens ad oppositum, tunc enim voluntas diuina operans ad extra, non esset recta ex se, sed ex obiecto contingenti, quasi mensurante, seu cauante rectitudinem illius. Ex quo argu-

mento concludit etiam secundum dictum, & ex ipso corroborat primum. Nam talis est res secundum se absolutè, qualis est in perfectò eiusdem generis, non in imperfectis; Theologia verò contingentium in Deo est speculatiua: ergo ex proprio genere, atque obiecto est speculatiua. Tertium probat, quoniam in nobis notitia Theologica contingentium ex determinatione voluntatis diuinæ, est apta nata determinare rectitudinem praxis: ex eo enim quod Deus voluit statuere sacramentum Baptismi, & legelata obligare homines in statu legis Euangelicæ ad illud suscipiendum, resultat dictamen practicum determinans rectitudinem voluntatis humanæ, ut sit ipsi conformis: hoc autem non habet ex ipso obiecto, alioquin in omni tempore, ac statu illud haberet, ergo habet à causa extrinseca, nempe à voluntate diuina, & consequenter in nobis habet quidem ipsa volitio rationem praxis, & Theologia illam dirigens, rationem notitiæ practicæ, sed per accidens tantum, non verò per se, & ex obiecto.

Ut expendatur quid probabilitatis hæc opinio contineat, oportet intelligere quid Scot. nomine contingentium intelligat: nam, si absolutè loquamur, omne operabile est contingens, imò omnis notitia practica est de obiecto contingenti, quod potest benè, vel malè fieri, ut supra ex Philosopho dictum est: & ita videbitur Scot. inepta distinctione vsus, Scit. primum Theologiam circa necessaria vocat practicam, circa contingentia speculatiuam, quandoquidem practica non nisi circa contingentia versatur. Verum Scotus hac ex parte aptè loquitur, non enim considerat obiecta ipsa, ut actu fiunt, hoc enim modo omnia possunt esse absolutè contingentia, ut indicat. §. *Ad argumenta principalia*, sed ut substant dictamini practico scientiæ, & hoc modo vsus est illa diuisione, & verè quidem; nam circa obiecta contingentia possunt esse multæ veritates necessariae, ut notat loco proximè citato, verbi gratia exercitium religiosi cultus contingens est, & tamen circa illud sunt in sacris litteris reuelatæ veritates necessariae: nempe *Deum tuum timebis, & illi soli serues*, Deuter. 6. *Non habebis Deos alienos*, Deuter. 5. quæ, ut practicæ sunt, continent perpetuam veritatem ex necessaria connexionione terminorum. Aliæ verò non sunt necessariae, quando scilicet ex terminis proprijs & obiecto non sequitur necessaria con-

VI.

Scotus.

Deut. 6.

Deut. 5.

nexio:

Añor. 2.

nexio: & ita considerato solo obiecto non sunt rectificatiua praxeos, cum nihil inter sit ad ullam rectitudinem hoc, vel illo modo fieri, verbi gratia ante institutionem Baptismi propositio illa Añor. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum*, non habebat vim directiuam, aut rationem dictaminis practici, postea verò ex voluntate, & lege Dei determinantis Baptismum tanquam medium necessarium ad salutem, & ad eum suscipiendum cunctos obligantis coepit esse dictamen practicum: & Theologia, quæ disputat de Baptismo, ac de alijs sacramentis dicitur hoc modo versari circa contingentia, & de his intelligitur Scot. & eiusmodi Theologiam vult esse practicam per accidens, hoc est ex voluntate Dei conferentis obiecto pro ut fiat sub illo dictamine, vim directiuam, & determinatiuam voluntatis humanæ.

VII.
Bassol.

Hæc opinio Scoti ita ad eius mentem explicata displicet Bassoli q. 7. prologi art. 4. & mihi non probatur, censeo enim Theologiam de contingentibus hoc modo secundum se sumptis esse propriam, ac per se practicam, & ideo in nobis non esse practicam per accidens; fundamentum est oppositum fundamento Scoti, nempe ad rationem notitiæ practicæ fat esse obiectum operabile sumptum sub aptitudinali habitudine finis, in ordine ad quem possint esse operationes regulabiles aliqua priore notitia, ut in superioribus ostendi, & magna ex parte consentit idem Scot. circa vnum tamen dissentit, nimirum in expositione ultimæ conditionis, vult enim notitiæ practicæ regulantem debere esse priorem omni actu voluntatis, ita quod ex se nullo eiusmodi actu supposito, sit determinatiua rectitudinis praxeos, cuius est norma. Ego verò existimo opus quidem esse, ut notitia practica sit talis ante praxim, quam regulat, non enim potest esse directiuam, nisi habeat vim dirigendi antepositionem operationis, quam dirigit, non tamen requiri, ut huiusmodi vim habeat ante omnem prorsus actum voluntatis. Quod facile ostenditur ex Philosopho, qui 6. Ethic. cap. 2. actus prudentiales, qui verè sunt notitiæ practicæ vult habere pro mensura appetitum rectum circa finem, nam, cum voluntas ex appetitione finis moueat intellectum ad consultandum de medijs, iudicium intellectus, post consultationem de medio aliquo eligendo, est practice verum in ordine ad rectam appetitionem finis, quæ posita habet vim dirigendi voluntatem determinatè ad hoc potius obiectum, quam illud: at verò ante illam non habet hanc

Aristot.

vim: non ergo per se requiritur ad rationem notitiæ practicæ, ut ante omnem omnino actum voluntatis habeat vim determinandi voluntatem ad rectitudinem, sed satis est, ut eam habeat ante actum, quem dirigit, siue supponat alium actum voluntatis, siue non. Quod etiam constat in legibus positiuis, quas esse quosdam factus notitiæ practicæ, siue prudentiæ architectonicæ docet Aristoteles lib. 6. Ethic. cap. 8. & cum ipso D. Thom. & alij communiter: Et tamen ante actum voluntatis legislatoris non habet determinatam, & actualem vim directiuam, ac rectificatiuam actuum humanorum: nam circa obiecta suapte natura non necessaria, qualia sunt ea, de quibus feruntur leges positiuæ, liberum est ante legem prohibito operari, nisi aliunde ad sit circumstantia iure naturali prohibita, non enim requiritur ad propriam rationem notitiæ practicæ, ut sit prior omni actu voluntatis, & independenter ab eo habeat vim dirigendi, sed sat est si posito priore aliquo actu voluntatis habeat vim directiuam sequentium. Quo posito facile deducitur sententia, quam tueor: veritates Theologicæ circa contingentia operabilia sunt de obiecto operabili, & regulatiuæ praxeos, quas præcedunt, ut per se patet in omni materia sacramentorum, dirigunt enim operationes humanas circa eadem sacramenta: ergo Theologia, quæ versatur circa eiusmodi veritates est verè practica.

VIII.

Non est autem opus longiore probatione ad hoc institutum confirmandum, nec diutius immorandum in impugnanda sententia Scoti, qui repugnantia loqui videtur, quatenus hanc partem Theologiæ censet esse per se speculatiuam, practicam per accidens: non enim fieri potest, ut conueniat alicui rei oppositum eius, quod conuenit per se: at practicum, & speculatiuum sunt differentiæ oppositæ, & de sententia Scoti speculatiuum conuenit per se Theologiæ, quæ versatur circa contingentia: ergo non potest eidem per accidens conuenire ratio practici. Hæc obiectio non latuit Scotum, qui conatur ipsam soluere dicendo non repugnare, ut sit per se speculatiua, & practica per accidens, quemadmodum idem est nigrum simpliciter, & album secundum dentes. Quæ responsio non tollit difficultatem; nam album & nigrum respectu diuersarum partium admittunt illam veritatem: at scientiam respectu eiusdem conclusionis esse per se speculatiuam, & simul practicam, licet per accidens, omnino

nino

ninò repugnat, nam si est practica cognoscit obiectum quatenus operabile est, & est directiua praxis, si verò speculatiua neutrum horum habet: at fortè vult Scot. Theologiam contingentium esse per se speculatiuam, id est, ex sua ratione communi id vendicare, etiam quando est determinata ad Theologiam viatorum, quæ per accidens est practica ex determinatione voluntatis diuinæ. Verum neque hoc modo satisficit argumento, nã vel ita nostra Theologia dicitur per accidens practica, quasi ipsi accidat secundum propriam speciem ratio practica, ita vt manere possit, quin sit practica, vel quia ipsa quidẽ ex propria specie sit per se practica, per accidens verò quatenus participat rationẽ cõmunẽ Theologiae: Si primũ, fieri poterit, vt eadẽ scientia immutata manens quo ad naturã modo sit practica, modo speculatiua; secundum nõ potest dici quãdoquidem nulli speciei per se conuenit forma opposita illi, quæ per se cõuenit generi, vel analogo essentiali. Respondet aliquid pro Scoto hoc argumentum supponere vnum incertum, nempe eandẽ scientiam non posse simul esse practica, & speculatiuam: quare si non est improbabile eidẽ scientiæ conuenire vtrãque rationem per se, verbi gratia diuinæ, absurdum nõ erit, si vna conueniat per se, altera per accidens; Verum hæc solutio apud Scotum non habet locum: qui non cõcedit scientiam eandẽ esse simul per se practica, & speculatiuam. Deinde etiam ea sententia posita non euacuat argumentum: nam aliud est scientiam respectu diuersarum conclusionum habere rationem practica, & speculatiuam, quod ego non inficio, aliud respectu eiusdem: quod licet respectu obiecti materialis non repugnet, vt de facto est in sciẽtia diuinæ: quæ rerum creaturarum simul est practica & speculatiua, vt dicam in materia de scientia Dei: tamen respectu eiusdem obiecti formalis omninò repugnat eandẽ scientiam esse simul practica, & speculatiuam. Voco obiectum formale hoc modo id, quod significatur per enunciationem respondentem iudicio mentali; nam immediatum significatum per enunciationem respondentem iudicio practico est operatio, vt regulabilis; idcirco enim enũciatur per modum imperij: quod verò respondet iudicio speculatiuo, quamuis esse queat operatio, non tamen vt in actu exercito à tali iudicio regulabilis: Et ita ipsamct scientia diuinæ de rebus creatis, quatenus speculatiua æquipollet nostro iudicio speculatiuo: quatenus verò practica, practico.

Atqui veritates Theologicae contingentes agnoscuntur à Theologo per modum directionis: ergò fieri nequit, vt sub hac ratione speculatiuè cognoscantur. Et sic, quamuis non repugnet, vt quis eadem obiecta practice cognita per modum speculationis consideret, repugnat tamen vt ea consideret notitia directiua, quin eiusmodi notitia sub hac consideratione sit propriè, ac per se practica, & nullo modo speculatiua.

Præcipuum Scoti fundamentum supponit falsum, nempe opus esse ad rationem notitiæ per se practice, vt habeat actualem vim rectificandi antè omnem actum voluntatis: quod minimè necessarium est, vt paulò antè ostendi. Et ad probationem, quæ ad hoc sumitur ex scientia, ac voluntate diuinæ, respondetur obiectum contingens non mensurare notitiam Dei: quemadmodum nullum obiectum notitiæ practicae ipsam mensurat, sed potius ab ipsa mensuratur: quamuis autem voluntas diuina in se recta sit, nostro tamen intelligendi modo conformatur proprio intellectui ostendenti modos, ac regulas operandi ad extra, quæ de re latius in materia de scientia Dei. Et ita ipsa quoque scientia diuina de contingentibus est practica: ideoque argumentum, quo probatur secundum Scoti dictum, retorqueri in ipsum potest, nam si talis est res secundum se, & absolutè, qualis est in perfectissimo eiusdem generis, & scientia Dei circa contingentia reuelata est magna ex parte practica, talis quoque erit Theologia nostra de eodem obiecto. Accedit quod principium illud, talis est res absolutè secundum se, qualis est in maxime perfecto eiusdem generis, si intelligatur secundum actualem conuenientiam, falsum est, nam quando res secundum se talis est, hoc habet ex propria ratione formali, quæ cum reperiatur in omnibus eiusdem generis, non magis erit in perfectis, quam minùs perfectis; Si verò intelligatur secundum aptitudinem, & non repugnantiam, verum est: sed non probat institutum, etiamsi concedatur scientiam diuinam contingentium esse speculatiuam: non enim per se conuenit omnibus speciebus id, quod solum aptitudinaliter, & per non repugnantiam conuenit generi: exempli gratia, quia homo est animal rationale, dici potest animal aptitudinaliter esse rationale per se, ex quo non sequitur equum, vel leonem esse rationales, Probatio tertij dicti laborat eodem vitio suppositionis falsæ.

IX.

Dein-

Deinde respondetur tamen conclusio Theologica de Baptismo suscipiendo ante determinationem voluntatis diuinae, institutionem sacramenti, & promulgationem legis de eo suscipiendo non habuerit actum determinandi voluntatem ad actum rectum, tamen illud obiectum, ut potest operabile suapte natura esse aptum regulari notitia aliqua diuina, quatenus sumi poterat sub ratione finis attingibilis operatione aliqua capace mensurae: quod satis est, ut notitia dicatur per se practica ex proprio obiecto.

Theologia est simul practica,
& speculatiua.

CAPVT XI.

I.

Hoc capite examinanda est ea difficultas, quae ex tribus praecedentibus oriri potest: nam in ijs dixi Theologiam necessarium esse participem rationis practicae, aut speculatiuae, deinde verò non esse pure speculatiuam, aut practicam: Ex quo sequitur esse mixtam ex utraque, nempe simul practicam, & speculatiuam: quod tamen repugnare existimant Doctores citati, cap. 7. num. 3. quorum praecipua fundamenta ibidem explicata, & soluta sunt: ideo non oportet ea repetere.

II.

¶ Communior est opposita sententia, quae docet Theologiam esse simpliciter practicam, & speculatiuam. Ita docent Sanctus Thomas 1. p. q. 1. art. 4. & 5. & q. vnica prologi, art. 3. quaestiuicula prima, Caietan. & Iauell. 1. p. q. 1. art. 4. Bonauent. q. 3. prologi, ubi docet Theologiam esse habitum medium inter speculatiuum, & practicum participantem vtrumque extremum, quia est contemplationis gratia, & ut boni fiamus. Petrus de Tarantasia apud Marsil. q. 3. prologi art. 1. & Carthusian. q. 2. Guodofred. apud Scotum q. 5. prologi art. 1. §. *Alia est opinio*, & apud Aureolum qu. 3. art. 1. Richard. q. 4. prologi, Hervaeus quodlib. 5. qu. 16. & 18. §. *Quantum ad secundum*, & qu. 19. & q. 4. prologi dum tractat quartam opinionem, Can. lib. 12. de locis Theologiae c. 2. Ocham. q. 12. prologi litera I. Ioan. Bachon. q. 4. art. 5. qui est per modum quaestionis ar. 1. Carthusian. lib. 1. fidei orthodox. art. 1. §. 4. & q. citata Michael de Palatio q. 10. prolog. Capreol. q. 2. art. 1. conclusione 6. Gabriel. q. 12. Medina prima secunda q. 3. art. 5. Conrad. prima secunda in proem. & q. 3. ar. 5. Syluest. in conflato q. 1. art. 13. Hispalens. q. 2. prologi art. 1. conclusione 4. & art. 4. ad argumenta contra eandem conclusionem,

S. Thom.
Caietan.
Iauellus.
Bonauent.

Tarantasia.
Guodofred.
Richard.
Hervaeus.

Can.
Ocham.
Bachonius.
Carthus.
Palatius.
Capreolus.
Gabriel.
Medina.
Conrad.
Syluest.
Hispalens.

Soncin. q. 2. conclusione 6. potest autem suaderi. Primum, non repugnat rationes inferiores in pluribus rebus. parvas reperiri sublimiore modo coniunctas in re ordinis superioris: atqui Theologia est scientia superioris ordinis, quam sit merè naturalis, & considerat sua obiecta tum secundum rationem agibilem sicut scientia moralis, tum secundum rationem merè scibilitatis speculabilis, sicut Philosophia naturalis, ac Metaphysica: ergo continet vnica in se perfectiones, quae in his scientijs sunt diuisae, nempe rationem practici, quae cernitur in morali, & speculatiui, quae in naturali Philosophia, ac Metaphysica. Hac ratione vtitur D. Thom. 1. par. q. 2. art. 4. & eam bene explicat Caietan. in comment. Secundo obiectum formale Theologiae, à quo sumit specificationem, nempe cognoscibile remotè per inspirationem diuinam, non pugnat cum scibili practice, ac speculatiue: Nam ex diuina reuelatione cognosci possunt, imò de facto cognoscuntur, ut cuius Theologo conspicuum est, & speculabilia in se, & agibilia propter se, ergo etiam cum ipsa ratione formali Theologiae non repugnat, ut simul sit pura cognitio obiecti speculabilis, & notitia directiua obiecti operabilis: Patet consequentia, quoniam scientia extenditur ad illa omnia, quae continentur sub obiecto formali: ideoque Theologia ex habitudine ad hos duos fines, simul erit practica, & speculatiua. Tertiò habitus ille, qui simul est sapientia considerans rationes aeternas, & scientia considerans temporalia administranda, simul est practicus, & speculatiuus, quandoquidem rationes aeternae sunt speculabiles, administratio verò temporalium est praxis: sed vtrumque conuenit Theologiae, ut patet per Augustinum lib. 14. de Trinitate, cap. 1. quin verò lib. 12. cap. 14. inquit, superiorem partem rationis sapientiae deputari, ibidem verò ca. 7. dixerat superiorem rationem intendere rationibus supernis, nempe diuinis, ut interpretatur D. Thom. secunda secunda, q. 45. art. 3. & conspiciendis, & consulendis: conspiciendis quidem, secundum quod diuina in se ipsis contemplatur, consulendis autem, secundum quod per diuina iudicat de humanis actibus per diuinas regulas eos dirigens. Tandem obiectum formale complectè fidem specificans est veritas prima reuelans, quo posito dari potest actus, & habitus fidei, siue obiectum reueletur sub ratione agibilis, siue sub ratione speculabilis: etenim actus fidei circa obiecta diuersa penes eiusmodi rationes non distinguuntur specie: siquidem eiusdem speciei est actus, quo

Soncin.

S. Thom.
Caietan.

Augustin.

S. Thom.

Medin.
Ocham.
Carthus.